Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 855
Quelle:
Copyright:

Quis ille *Praesul venerandus?* An Poetae nomen *Fidelis?* Nihil de hoc carmine *Trithemius*, nihil *Leyserus* adspirat. Et tamen versus numerat 217. quorum extremi:

Ad dextram domini coniungemur uelut agni.
Tunc dabitur precium. Comitando uenite supremum.

Fol. 137. p. 2. *Homiliae* V. minio D. *Hieronymo* inscriptae, quarum I. *in Festiuitate Sancti Michabelis* est e L. III. c. 18. *Commentarior.* ejus in *Matth.* a verbis: *Quod sæpe monui* &c. ad verba: *feminarum propter angelos.* ut in Edit. *Vallars.* T. VII. *col.* 137. II. *in Nat. Plurimorum Martyrum* init: *Gloriosam et honorabilem lectionem sancti euangelii quę modo ob festiuitatem sanctorum martyrum lecta est fratres karissimi* &c. Exponuntur octo Beatitudines e *Matth.* c. 5. ita, ut apud nullum Homiletam me legere meminerim. Unde adscribam interpretationem τȣ *Et cum sedisset*, quo alii fortasse facilius in notitiam Autoris deveniant: *In ista sede quattuor significantur. id est humilitas christi. & indicium iudicandi. & stabilitas eternitatis eius. et humana natiuitas.* III. iterum *in Nat. plurimor. Mart.* in illud. *Luc.* c. 12. *Attendite a fermento* &c. incipit: *Prescius ergo dominus ac saluator noster multos in sancta ecclesia aduentantes perfidos et impios homines* &c. Si paullum legendo progrediaris, in *Bedae Commentarium in Lucam* c. 52. incidis, ut edit. *Colon.* T. V. 1688. *col.* 436. f. hic in Homiliae formam coaptatum et interpolatum. IV. rursus *in Nat. plurimor. Mart.* in illud *Luc.* 6. *Descendens Jesus de monte* &c. incipit: *Laudabilis et gloriosa uirtus sanctorum fecit hodie copiosum uestrę caritatis esse conuentum.* &c. Etiam in hac Homilia multa delibata sunt e *Bedae Comment. cit.* c. 21. 22. edit. *cit. col.* 284. V. *in Nat. vnius Martyris.* in illud *Matth.* c. 10. *Qui amat patrem aut matrem* &c. incipit: *Gaudeamus dilectissimi* (gaudio?) *spirituali in beati martyris christi festiuitate quam hodierna die solemniter celebramus* &c. Non ultra 19. lineas progreditur; excidit enim membrana. Ceterum *Homiliae* hae tam parum *Hieronymi* sunt, quam parum genuinum earum Compilatorem indicare possum.

Fol. 146. absque omni inscriptione Expositio aliquot Versuum *Ezechielis* a C. I. v. 22. *Similitudo super Capita animalium* &c. quae incipit: *Haec largiente domino duobus modis exponimus* &c. atque ita *Gregorium* M. autorem prodit. Pertingit vero, ut T. I. Edit. *Maur.* a L. I. *Homil.* VII. n. 18. ad *Homil.* VIII. n. 24.

Huic Excerpto subjectus est Elenchus *Curiarum*, *Mansorum*, *Huobarum*, *Modiorum Frumenti* et *Carradarum Ceruise* concessarum, ut non dubito, a Coenobio *Lunaelacensi*, unde Codex ad nos transiit, e quo nomina locorum,